

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-436401-p0002-9

DFG

QK. V. 27.

Yb  
2540

*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO INAVGVRALIS PHYSICO - MEDICA  
SISTENS

# ORYCTOGRAPHI- AM HALENSEM

SIVE

FOSSILIVM ET MINERALIVM IN  
AGRO HALENSI DESCRIPTIONEM

*QVAM*  
PRÆSIDE

# DN. FRIDERICO HOFFMANNO

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE

& h. t. DECANO

*ad d.* Aprilis MDCCXXX.

PRO

## GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA PRIVILEGIIS RITE IMPETRANDIS

H. L. Q. C.

Publicæ disquisitioni exponet

AVCTOR RESPONDENS

## IOANNES IACOBVS LERCHE

POTSDAMIENSIS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI. Acad. Typogr.

ГЛАВА  
СЪДОВАЯ

И МУДРАНИЯ СЪДОВАЯ

ОИЛНІ



VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLEN-  
TISSIMO

D O M I N O  
FRIDERICO HOFFMANNO  
COMITI PALATINO CAESAREO

CONSILIARIO MEDICO ET PROFESSORI REGIO  
SOCIETATIS SCIENTIARVM CÆSAREÆ REGIÆ  
BRITANNICÆ ET BORVSSICÆ

SODALI

PATRONO AC PROMOTORI SVO  
OMNI HONORIS ET OBSERVANTIAE CVLTV PROSE-  
QVENDO

NEC NON

VIRO PLVRIMVM REVERENDO ET  
AMPLISSIMO  
DOMINO  
M. IOANNI CHRISTIANO  
LERCHE  
LEGATIONIS POTENTISSIMI REGIS  
SVECIÆ IN AVLA SACRÆ CÆSAREÆ  
MAJESTATIS ECCLESIASTÆ FIDELISSIMO  
FRATRI SVO PARENTIS LOCO  
OFFICIOSE AC PIE COLENDO  
DISSERTATIONEM HANC  
IN  
SEMPITERNAM SVMGORVM BENEFICIORVM  
MEMORIAM  
ET GRATISSIMI ANIMI DOCVMENTVM  
CVM VOTO  
OMNIGENÆ PROSPERITATIS  
GRATIÆQUE DIVINÆ  
REVERENTER OFFERT  
ET  
OMNI ANIMO CONSECRAT  
AVCTOR.

ET  
NO  
S  
CO



## PRO O E M I V M.



Vamvis thema dissertationis præsentis magis ad physicum, quam medicum forum spectet; illud tamen specimini inaugurali non plane incongruum esse puto, cum Physices studium ad Medicinam maxime pertineat, & in ea usum amplissimum habere obseruetur, de quo ipsa hæc tractatio satis claram exhibebit testimonium. Si libros Physicorum euoluimus, non pauci inter eos occurrunt, qui specialius de fossilibus certarum regionum scripere runt. Horum singularis industria me quoque permouit, vt in perlerutandis ejusmodi rebus naturalibus multum temporis impenderem. Hunc in finem ager Halensis yberrinam præbuit copiam, ita ut præterlapsis annis magnum variorum fossilium apparatum conquisiuerim. E quibus cum plurima

A 3

mul-

multis adhuc incognita sint , operæ pretium judicauit, hac occasione *fossilium Halensium enumerationem* pertractare. Sed ne limites dissertationis transgre- diar, in recensione quorundam subjectorum brevior ero : quæ vero rariora & notabiliora erunt, pluribus circumstantiis describere non negligam. Cui co- natui & labori, sicuti gratiam diuinam adjutricem pre- cibus deuotis exoro, ita confidenter eandem mihi promitto.

## CAPVT I.

*De*

### Situ & natura agri Halensis.

**D**Vm animus est, *fossilium & mineralium in agro Halensi descriptionem exhibere*, super- vacaneum hoc loco effet, in urbis Halæ Ma- gdeburgicæ denominationem, originem, antiqui- tatem & incolas præteriorum seculorum inqui- rere. Qui vero de his certiores esse volunt, hos ad OLEARII *Halygraphiam & ANONYMI* cuiusdam Nachricht von der Stadt Halle und Universität, remittimus. Per agrum Halensem itaque non solum angustum illud spatium, quod proxime urbem ambit, sed passim etiam ad distantiam trium & quatuor milliarium porrigitur, intelligo.

*Solum* hoc nostrum plurima ex parte terra nigri- cante, pingui gaudet, ob quam præ multis aliis fer- tilis.

tilissimum existit. Excipio pauca tantum jugera parumper lapidosa & arenosa, quæ versus amnem Elystrum, die Elster, & prope pagos Giebichenstein & Niedleben, occurunt.

Licet ager quoad maximam partem planus sit; passim tamen quoque *montibus* & *vallibus* distinctus conspicitur. Ex montibus in primis eminent mons St. Petri, Petersberg, & qui Landsbergæ est, deinde qui prope Giebichenstein situm habent. Ex vallibus annotari merentur, quæ ad pagos Beesen, Esperstädt & Gimmlitz in via VVettinensi obueniunt, vbi simul jucunda vocis repercussio, quam Echo appellant, frequentissime exauditur.

*Sylvis* etiam non destituti sumus. Sic habemus syluam, quercus maxime comprehendentem, quæ a pago Almendorff, secundum longitudinem ad ripas Elystri, vsque ad Lipsiam & vltra, continuat. Alia quercus ferens, sed longe minor, est ad radices prædicti montis St. Petri. Deinde non procul ab urbe nemus oculis se offert, quod prater quercus etiam pinos, abies, alnos, betulas, corylos & alios fouet frutices. Verum omnis hic sylvarum apparatus tanti non est, vt debitam quotannis ligni copiam nobis suppeditaret. Hanc inopiam vero sylua nostra subterranea, carbones fossiles puta, qui prope Wettinum & Lebeguinum copiosissime eruuntur, egregie subleuat. At hi etiam cum omnibus vibus œconomicis non quadrent; lignum insuper aliunde, partim ex Thuringia, Salæ fluuiο injectum, ad nos

venia

8 Cap. I. De situ & natura agri Halensis.

valtale propellitur, partim autem ex Principatu An-  
henino Dessauensi, naui & curru, in sufficiente quan-  
titate advehitur.

Vinearum proxime ad urbem parvus est nume-  
rus, longe major vero vnum vel alterum abhinc mil-  
liare, prope Cölme & Seeburgum; vbi vinum, licet  
ignobilius, satis copiose paratur.

Hic a proposito nostro non alienum judica-  
mus, si agri Halensis diuersa strata subterranea, quo-  
usque hactenus innotuerunt, subjungamus, ex qui-  
bus quisque veritatis amicus ad diluvium quoddam  
vniuersale conclusionem formare poterit. Huic  
scrutinio subjiciemus primo campos ad meridiem  
vergentes, qui sequentia strata habent: 1) primum  
est humus alens nigricans, vnius circiter & dimidiæ  
vlnæ: 2) alterum silices & lapides varii generis ha-  
bet, sed inordinate compositos, perinde fere, ac si  
viam axis stratum ceraeres: 3) sequitur limus pu-  
rior & siccus, **Ba**cfen-**Leimen**, trium vlnarum.  
4) Limus ordinarius humidior, cum lapidibus cor-  
neis, vtplurimum diffractis, quatuor vlnarum. 5)  
Limus striatim positus, **Blätter-Leimen**, vnius vlnæ;  
6) arena siccä impurior, vnius vlnæ. 7) Limus  
valde arenosus, quatuor vlnarum 8) Limus compa-  
ctior, fusci coloris, dimidiæ vlnæ. 9) Silices ma-  
iores minores, & diuersi coloris, **Wasser-Rieß**, cum  
aqua pura interfluente; & haec aqua illa est, quæ  
per cuniculos & canales ligneos, durch Stollen und  
Röhren, ad orphantropheum deriuatur: est vero  
hoc

hoc stratum quatuor vlnarum. 10) Excipit terra nigra compacta XII. vlnarum, quæ pyritem martialem vitriolicum, lapides corneos magnæ molis, particulas ligni fossilis fusci, pectunculos & alia conchyliæ, vestigia cretæ purissimæ & varia fragmenta fouet, de quibus infra plura dicemus. Quin totum hoc stratum principio vitriolico scatet. Quidam vero agricultorum hanc terram pro nitroso forte habentes, eam per agros suos pro meliore fœcundatione distribuerunt; sed spem desideratam non obtinuerunt, ac potius agri vitriolico principio steriliores redditifuerunt, quod in illis adhuc hodie obseruatur: 11) Arena sicca, fusci coloris, duarum & plurium vlnarum. 12) Argilla alba & rubicunda. 13) Tandem lapis arenarius, ruber & albicans. Et hucusque, ad LX. circiter vlnas, terræ scrutatores penetrarunt.

In eodem agro versus Salam hæc strata discrepant: primo enim terra nigra; deinde mox argilla alba, vel etiam rubicunda apparet, vti in suburbio auf dem Lerden-Feilde videre est: huic subjacet lapis durissimus, crystallis minoribus saepè ornatus; tum flava terra compactior, margæ instar, comprehenditur.

In campis occidentem spectantibus eodem modo se habent strata, dum statim humum alentem argilla copiosissima sequitur. In agro quoque septentrionali & occidentali parua est differentia, nisi quod limus ordinarius argillam prius antecedat.

In vrbe ipsa autem, in primis ejus parte meridio-

dionali, telluris alia est varietas. Superius plerumque terra nigra, limus, lapides varii, & præsertim arenarius, porosus, albicans, occurrere solet: sub quibus latet peculiare stratum, carbonum nempe fossilium, vulgo **Thau-Kohlen**, quod longe lateque se extendit, ac non solum magnam urbis & suburbii partem, den **Stein-Weg**, occupat, sed paſſim quoque per campos, versus meridiem, vsque ad pagum **Liebenau**, continuat; vbi in puteis fodendis ſepiſſime eruuntur. Placet de hoc plures circumſtantias communicare. Anno circiter MDCXCIIIX. in area urbis, auf dem Berlin, metallifoflores veros lithantraces quæſiuunt; sed nihil, niſi prædictos carbones inutiles, eruuntur. Postea de nouo anno MDCCXXII. hunc in finem terram in fossa meridionali, non procul a Pædagogio Regio, perſcrutabantur: reperiebant itidem hos carbones, quorum superius stratum varia fragmenta friabilia, wie verfault Reiß-Holz, offerebat, cum intermixtis arborum foliis, optime adhuc conſpicuis. Deinde circa vlnam XIV. & XV. integros arborum truncoſ secundum ſeriem poſitos offendebant, qui non niſi lignum foſſile, fuſcum, valde compactum erant, ex quibus etiam maximum fruſtum ad curiam deferebatur. Porro ab vlna XV. vsque ad XXVI. carbones nostri bituminis inſtar, nigri coloris copioſiſſime ſequabantur. Sed accidit, vt, foramine per terebram, Erdbohrer, ad XXVI. vlnam facto, aqua ſubterranea ſubito inſtar fontis ſalientis ad viri altitudinem prorumpens, cavernam

uernam ad vlaam XVI. repleret , ac fossores media nocte aufugere & a toto opere desistere cogerentur : aqua hæc vero , quorum vestimenta commaculauerat , successu temporis corrosit , ex quo videmus , illam de vitriolico principio participasse .

Singularis hujus strati jam ante ducentos fere annos mentionem fecit VALERIVS CORDVS in *sylua obseruat*. vbi dicit: Bituminosa terra lenis , arida , & quæ nunquam lutum sit , etiam imbribus maximis , & quæ accensa , ardet carbonum modo , donec in cinerem solvatur tota , odore dum ardet bituminis sulphurei mixti , Halæ Saxonie , sub ipsa urbe , maxime autem in fossa versus meridiem , reperitur . Quidam existimarunt , hos carbones , quos unreiffe Stein-Kohlen appellare malunt , post temporis interuallum XX. vel XXX. annorum , ad debitam maturitatem peruenturos fore , vt veros tandem carbones fossiles constituant . Sed cum ex citato auctore manifestum sit , eosdem carbones , quos ille bituminosam terram vocat , tempore duorum fere seculorum easdem qualitates adhuc retinuisse , & nullam mutationem subiisse ; hinc maxime dubitandum , an vnquam desideratam metamorphosin sint passuri .

Plura hic non addimus , cum longe alia , ad scopum nostrum magis pertinentia , restent .

## CAPVT II.

De

## TERRIS MEDICIS &amp; MECHANICIS.

**N**on necessarium judico, omnes terrarum species agri nostri, quæ ex antea prolatis maximum partem constant, hic pluribus enarrare; sed sufficiet, si mechanicas tantum & medicas allegauerero. Has inter primo loco annotanda venit *argilla*, quæ hic in abundantia prostat. Differt autem argilla ratione coloris; alia enim est alba, quæ frequentior, alia rubra & purpurea, alia cinerea & cœrulea, quæ paulo rarior. Dein differt quoque ratione puritatis. Sic argilla ex fodina proxime ad urbem, parumper arena permixta est, quæ conficiendis vasis fistilibus, & præcipue etiam fistulis tabaci inferuit. Multo purior autem ea deprehenditur, quæ vix ante decem annos in media sylva, prope pagum *Niedleben*, detecta est. Hæc illud singulare habet, quod tam propter puritatem, quam etiam eminentem albedinem, ad purificanda panna a fullo-nibus loco saponis usurpetur, & hunc in finem interdum ad alia loca transportetur. Argillæ usus in Medicina valde infrequens est, & licet virtutem absorbentem & exsiccantem habeat, præstantiora tamen hujus generis remedia alia existant. Ceterum hoc semper de argilla mihi notabile fuit, quod non facile, nisi forte in superficie, lapidibus figuratis ac aliis hete-

heterogeneis permixta occurrat ; ex quo haud im-  
merito conjiciendum , illam a diluvio plurimis in  
locis intactam esse relictam.

*Rubrica fabrilis* , prope Giebichenstein , in via,  
mox in superficie , ante paucos demum annos depre-  
hensa est . Hæc vþplurimum saxo grysei coloris ad-  
hæret , ex quo etiam magnam duritatem acquirit , ob  
quam ordinariæ rubricæ multo inferior est . Inter-  
rim tamen noui , quosdam Mechanicorum illam in  
vsum duxisse . Rubrica alias pollet adstringendi , re-  
primeandi & fluxum sanguinis sistendi facultate ; unde  
& in ipsa vulgus communiter in dysenteria cura-  
tione sibi leuamen querit , in quo cum hæmatite  
multum conuenientiae habet .

*Ochra* in lapicidina , ad Salæ fluuum , non  
modo haud procul ab urbe , post humum nigrican-  
tem mox in altero strato conspicitur , sed etiam in  
aruis prope pagum Seeben , quibus locis a sigulis  
sæpe queritur ac eruitur . Datur quoque ochra fa-  
titia , quæ ex plumbo nigro paratur , dum nempe  
hoc ignis vehementiæ tam diu committitur , donec  
color em ochræ contraxerit . Vid . HOFFMANNVS in  
*Clave Schröder.* p. 136 . Ochra vero natuâ vista , ru-  
bricam factitiam constituit , de qua vid . AGRICOLA  
*Lib. III. de ortu & causis subt.* p. 40 . CÆSIVS de mineral.  
*Lib. 2. c. 2. scđ. 3.* Pictoribus & chirothecariis ochra  
maximi usus est : a Medicis vero parui aestimatur ,  
quia vis caustica & exsiccans ex aliis subjectis longe  
efficacior habetur .

B 3

Creta,

*Creta*, cuius mentionem in antecedentibus jam feci, non tantum lapidibus corneis in allegato strato repertis copiose adhæret, sed passim quoque seorsim peculiaribus frustis eruitur. Quid in mechanicis creta præstet in vulgus satis notum est. In medico foro haud inglorium ejus nomen est inter absorbentia & exsiccantia remedia, ideoque commendatur maxime in soda & bilis acrimonia; hinc etiam basin constituit morsulorum diacretæ Mynsichti. ETTMÜLLERVS cretam ad drachmam cum vino exhibitat, tanquam palmarium remedium ad necandos vermes, laudat. Externe in ulceribus, hæmorrhagiis & podagra conducere perhibetur. Sed cum, testante experientia, in omnibus his casibus plus novæ, quam emolumenti afferre soleat, ejus usum largiore non immerito dissuadeo.

*Lac lunæ*, terra lenis & friabilis candidissima, ante paucos annos in horto medico Pædagogii Regii passim eruta est. Cum alias nota sic dicto lac lunæ in omnibus conuenit, ac lapidi calcareo non-nunquam firmiter adhæret. Ob terram teneriorem in affectibus quibus cretam mederi perhibent, tuitius adhibetur, ac præterea cum crystallo montana preparata mixtum, lac puerarum augere, neque minus in febribus malignis, ardore virinæ & calculo prodesse dicitur; quod tamen experientia nondum sufficienter confirmatum est.

Si extra terminos agri nostri paululum vagari licet, *terram sigillandam* quoque, *ex luteo-puniceam*, *ludit*.

lichtbraun, pinguem & purissimam, prope Numburgum, in vineis, quinque ab vrbe nostra milliari bus, inuenimus, cuius varia specimina Museum curiosum *Magnifici Dn. Præsidis* exhibit. Hæc terra notis bonitatis aliis non facile cedit. Nam I.) pinguis est & leuis, omni sabulo & arena destituta; II.) leuiter manducata, butyri instar liqueficit; & III.) etiam lingue adhæret. Propterea æque ac aliae terræ sigillatæ, Strigenfis, Lennia, Melitensis, Samia, in vsum medicum trahi potest. Harum autem virtutes deprædicantur alexipharmacæ, diaphoreticæ, adstringens, quæ a manifestis illis qualitatibus deriuandæ: a pinguedine scilicet, qua simul acredinem involuunt; ab adstrictione leni, qua fibras relaxatas adducunt; a porositate, qua aquosum humorem absorbent; a miscela principii martialis, quo vtplurimum hæ terræ imprægnatæ sunt. Sed si Præticos consulamus, singulari illa virtute alexipharmacæ eas destitutas esse afferunt, ob quam vulgo in venenis subigendis, febris acutis, & coniuncta iüs diarrhoea, aut dysenteria maligna, extolluntur.

### CAPVT III.

*De*

#### Lapidibus nulla certa figura præditis.

**J**Am proprius ad ipsam lapidum descriptionem venio, & secundum ordinem hoc capite primo

16 Cap. III. De lapidibus nullacerta figurâ præditis.

mo loco non figuratos examinabo; e quibus non nullos quidem insimae fortis, ut saxum, varii generis, silices, corneos lapides, omittere potuisse, sed vt titulo exakte satisfiat, tamen eorum tantum mentionem hic injiciam. Si quis autem metallicos etiam lapides, sive sic dictas mineras, quæ pariter certam non obtinent figuram, in hunc censum referandas esse arbitretur; ego quidem non dissentiam, sed quia earum consideratio majoris momenti mihi visa, peculiare caput de illis conscribam.

Saxi arenarii tres singulares species habemus. Primum est *Loderslebiense*, fusti & cinerei coloris, ex quo cotes aquariae, *Schleiff-Steine*, columnæ pro ædificiis, statuae diuerse magnitudinis & monumenta sepulcraria formantur. Dein *Esperstadiense*, coloris ordinario grysei & subcinerei, interdum & flavi & cœrulei, quod substantiae tenerioris & firmioris est, eaque propter non solum ratione usus cum priori conuenit, sed insuper etiam, (quod polituram recipit) ejus tabulae quadratae, *Platten*, pro sternendis procérum atriis, ad remotiores vrbes sæpe vehuntur. Postea vero non minus notabile est *Rotenburgense* saxum, ex pallido rubrum, omnium durissimum: e quo cæduntur lapides molares multi & magni, ac Berolinum, in Porussiam aliaque dissita loca inde transportantur.

Saxum aliud *glareosum* se offert ad Salæ ripas, non procul a molendino, bey der Stein-Mühle. Hoc lapillis rubicundis, cinereis, viridibus & quasi tele-

Cap. III. *De lapidibus nulla certa figura praeditis.* 17

feleniticis vndique refertum est, qua de causa nitet ac splendet instar micæ sterilis. Hujus vsus frequen-  
tissimus est in exstruendis ædificiis, & sternendis sa-  
xo plateis.

*Saxum calcarium* non minori in copia reperi-  
tur prope pagum Liscau, ex quo in laterinis violen-  
tia ignis diu cremato, calx viua paratur. Curiosum  
in hoc lapide est, quod ejus superficie varia con-  
chylia inspersa sint, de quibus postea. Frideburgi  
quoque ex tali saxe calx vritur, quæ subtilior & ad  
dealbandos parietes conuenientior est priori; quare  
& hunc in usum ad nos transportatur. Medicus  
calcis viuæ vsus non est contemnendus. Nam con-  
fecta ex ipsa aqua calcis viuæ, in externis multis cor-  
poris humani affectibus, egregie prodest, vt in vl-  
ceribus venereis, ambustis, tumoribus cedematosis  
simplicibus, & babonodeis, non valde duris; in pa-  
ralysi vero, doloribus spasticis, non æque conuenit.  
Spiritus dein calcis viuæ, tanquam singulare diure-  
ticum, ad calculum, tam renalem, quam vesicalem  
expellendum, sumnum a quibusdam habetur arca-  
num, neque minus ad podagram tollendam lauda-  
tur; sed speratum auxilium haec tenus nondum præ-  
sttit certo ac tuto.

Accedo ad *lapidem tophaceum*, cuius varia spe-  
cimina se mihi obtulerunt. Primum prope Liscav-  
ium, Passendorffium & Querfurthum, in eleganti  
forma, musci instar petrefacti; alterum prope Isle-  
bianam, fungi figuram referens, saepe cochleis vmbi-

C *lithophyllum* lica-

18 Cap. III. De lapidibus nulla certa figura praeditis.

licatis nondum petrefactis prægnans ; hocque Sangerhufæ, grossius contusum, ad liquationem & fusionem falicitandam cupri mineris additur. Tertium inuenitur Frideburgi, quod cum priori fere conuenit. Jo. KENTMANNVS in *Nomenclatura fossilium p.m. 38.* meminit tophi ex cinereo flavi Halensis ; sed cum locum natalem ejus accuratius non indicauerit, affirmare non possum, an vnu ex allegatis fuerit.

Jam marmoris species recensendæ erunt. *Giebichensteinense* duplex est: vnum coloris est grysei, vel etiam fusci, venis rubicundis & carnei coloris paſſim distinctum, propter quas in tabulas redactum & cote laeuitatum, jucundum oculis exhibet spectaculum. Ante octo & plures annos aliquoties maxima frusta hujus marmoris naui Berolinum transportata fuere: posthæc vero nihil amplius effossum est, quod partim valde durum, neque instrumentis facile cedit, partim etiam quod venæ ejus coloratæ rarius occurunt, quæ tamen præcipuum illi elegantiā conciliant. Alterum coloris flavi est, instar ochræ, & striis longitudinalibus ac circularibus gaudet, vt crederes, lignum nucis juglandis petrefactum esse, de quo varia specimina ostendere possum. Marmor *Querfurterse* ex lapicidina auf der Rückenburg, colorem habet gryseum, sed innumeris subinde concharum speciebus, sèpissime crystallisatis, refertum conspicitur. Nonnulli quidem hunc lapidem ad calcareos referunt, at propter substantiam durissimam, polituram quoque optime admittentem, inter marmora referre malui.

Ala-

Alabastrum in agro Halensi ordinarie non offenditur, per fragmenta autem noui, ex strato decimo, nigro, Cap. I. nonnunquam protractum esse. Si vero ad quintum ab urbe lapidem excurrere licet, Alabastrum album & variegati coloris, striis rectilinieis & serpentinis pulcherrime ornatum reperimus, in maxima copia, nempe Bottendorffii, non procul ab oppido Wiehe. Alabastrum per se ad monumenta varia inde conficienda aptum est; sed usum, gypsum reddit, quod ad efformandas imagines, & effingendos memoriales nummos, Medaillen abzugissen, a gypsariis usurpatum. In re medica paruit momenti: prostat tamen ex hoc vnguentum, alabastrinum dictum, contra capititis dolores, ut & cataplasma hypnoticum D. D. R. in HOFFMANNI Thesauro pharmac. descriptum. Curiosum experimentum ex BOYLEO Excellentissimus Dn. Jo. JAC. BAIE-RVS in Oryctogr. Norica p. 26. allegat; quod nempe pulvis alabastri aut gypsi Parisiensis, æneo ferreoue lebeti, prius percalefacto, inditus, gradatim aucto igne, incipiat liquoris bullientis modo undulare, effuerescere, magnamque vaporum copiam spargere, tametsi nec ante, nec inter, nec post ebullitionem istam, puluis alabastri humidus reuera fuerit.

Frequentius apud nos est spatium, sive gypsum; Prostat id Cölmæ ad salsum lacum, & Martisburgi, vbi vulgo pro marga, Stein-Mard, habetur, ac priori loco reperiendum, crystallos saepe transparentes, quod raro accedit, exhibet. Minoribus frustis etiam

20 Cap. III. De lapidibus nulla certa figura praeditis.

iam ex arenofodina Schrapelauensi, ex agro nostro, prope vineam, vor dem Steinweg, interdum eruitur, quæ species asbesto filamentoso haud dissimiles sunt. Ex spato in Thuringia calcem viuam, *Spar-Kalz*, præparant, & alias etiam ex eo, si vritur, gypsum proprio sic dictum fit. Vsum mechanicum paullo ante jam notavi; quoad medicum autem, spatum subtilissime puluerisatum, a plebejis in dysenteria & aliis alui fluxibus, item in hæmoptysi &c. adhiberi solet; sed præpostero sæpe effectu, & potius ex foro medico relegandum.

*Glacies Marie, Frauen-Eis, Marien-Glaß*, a spato in eo tantum differt, quod pellucidior & purior sit: eaque propter combusta pari ratione largitur gypsum. In fodiendis puteis vestigia ejus manifesta in conspectum venerunt ante aliquot annos, in vinea Mignif. Dn. Cancellarii de LVDEWIG, vt & in Xenodochio in suburbio, zu Glaucha. Majori tamen in copia offenditur Numburgi & Bottendorff. Naturæ curiosi hunc lapidem fissilem commodissime vsibus suis ita adaptant, ut inter duas laminas papiliones includant, & sic aëris accessum impediendo, eos non solum a putredine vindicent, sed & ex vtroque latere colorum varietatem egregie oculis & aspectui exhibeant, cuius varia specimina Russica exotica illuſtr. Dn. PRÆSIDIS Museum fouet. Veteres ex hoc lapide speculari fenestras formarunt, vti refert KENTMANNVS loc. cit. p. 32. Et AGRICOLA suo adhuc tempore in templo vetusto Martisburgi ejusmodi

modi fenestras offendit. confer. SCHÜTTEI *Oryctogr.*  
*Zenens.* p. 60. Fœminis puluis ejus pro cosmeticō est; aliis vībus medicis rarius servit, nisi quod externe in oculorum caligine, & si pellicula apparet, in subtilissimum pollinem redactum, ab aliquibus cum fructu inflari soleat.

Addo *silices* plurimis agris passim inspersos, nullibi vero copiosiores & coloratiōres, quam ad pagum Niedleben, circa arenifodinam, quorum adspectus curiosiores maxime oblectatur. Silices albi & quodammodo pellucidi, in officinis ærariis metallifodinarum recipiuntur ad fluores, vulgo *Flüsse*, quibus minerarum fusio acceleratur; vel etiam subtilissime contusi smaltæ præparationi inseruiunt. Chymici ex silicibus calcinatis & plumbo vitrum saturni conficiunt. In medicum vsum cedit tinctura ne-phritica Amelungii, ex his silicibus parata, quæ calculosis leuamen adferre dicitur. Alii eodem scopo silicibus ignitis vinum generosum aliquoties affusum mirifice commendant. Ne dicam, Chirurgum quendam, BALTH. KAVFFMANN, scriptum de silicibus divulgasse, in quo oleum ex silicibus productum tanquam polychrestum in plurimis morbis laudibus effert. Sed omnibus his commode possumus carere.

Transeo ad *lapi des corneos*, a BüTTNERO ita denominatos, vulgo *Feuer-Steine*. Hos si ex imis terræ visceribus eruimus, vbi nullam vim externam passi, plerosque quidem integros adhuc, varie figuratos videmus; non tamen pauci etiam occurunt, qui in

circumferentia, aut per medium, diffracti sunt; qui habitus sine dubio ex diluio vniuersali habet originem, quo hi lapides vario modo allisi in fragmenta dissilierunt. Verumtamen inde non evictum, aut concludendum, omnes lapides corneos ante diluvium jam existisse, sed credibile est potius, post illud demum plures ex materia fluida coauisse, quia inter illos reperiuntur, qui intus per totam substantiam coralliis fossilibus, lapidibus Iudaicis & echinatis etiam, licet rarius, referti sunt atque prægnantes. Ceterum quum hic lapis nonnisi filex verus durissimus sit, plura de ejus usu non differam.

Tandem etiam hisce lapidibus annumero *Jaspis*-  
*dem*, sanguineo colore tinctum, qui paßim in arvo nostro prouenit, sed minoribus fragmentis. Ignis ex eo copiose elicetur, quare non incongrue *rother Feuer*. *Stein* appellatur. Uſus ejus, vbi in copia est, satis cognitus; in Medicina autem parum præstat.

## CAPVT IV.

De

### Lapidibus ex lusu naturæ & vegetabilium ac animalium mutatione figuratis.

**C**VM denique de ipsis figuratis lapidibus acturus sim, prius præmittam illos, qui naturæ lusu figuram quandam, similem vegetabilibus, animali-

malibus & aliis corporibus acquisuerunt, non constanti naturæ lege, sed fortuito & accidentaliter. Hinc petrefactorum sibi similium magna inuenitur copia, sed figuratorum raro bina exæcta sibi respondentia specimina reperiuntur. Inter hæc refero *silices* in agris & Salæ fluvio occurrentes, quorum multi varias figuræ mathematicas repræsentant; aliqui enim sunt rotundi, alii conici, alii oblongi, alii ouales, aut plani, alii porro pyramidales aut polygoni.

Ex omnibus his annotari meretur *Aetites*, der Ad-  
ler-Stein, qui rotundam & globosam figuram habet.  
Externe scaber & colore varius est, alium lapillum  
continens, vnde concussus, crepans resonat. Inuen-  
tur, sed rarius, prope arenofodinam Halensem &  
ad lacum salinum Seeburgensem. Frequentior au-  
tem est altera ejus species, quam *Geodem* appellamus,  
qui terram qualemcumque intus fouet. Præter hos vero  
prope citatam fodinam peculiaris copiosissime depre-  
henditur lapis, figuræ nempe globosæ, cylindricæ, co-  
nicæ, ovalis & oblongæ, crusta ex flavo rubicundæ, ita,  
ut eminus nonnulli eorum exæcta placentulas, vulgo  
*Pfann-Kuchen*, mentiantur: malleo autem diffraicti,  
omnes arenam albicantem cum flauescente mixtam  
offerunt. In Medicina huic lapidi variæ virtutes, tri-  
buuntur, sed cum superstitionis relationibus super-  
structæ sint, ejus vsu penitus carere possumus. Ac  
licet ad abortum præcauendum, partum facilitan-  
dum, & fœtum mortuum expellendum, tanquam a-  
muletum commendetur, & speratus quoque euentus

inter-

24 Cap. IV. De lapidibus ex lusu natura & vegetabilium

interdum sequutus, memoretur, is tamen lapidi adscribendus est minime.

Huc pertinet etiam *lapis fulminaris*, cuneiformis & interdum pyramidalis, quem vulgus credit decidere & fulminis miro effectus efficere, vnde a Germanis **Donner** • **Keil**, appellatur. Diu inter Physicos disceptatum est: utrum ejusmodi lapis in aere generetur? Ego cum dubitantibus facio. Nam non opus est, talem fingere, quoniam omnes isti effectus a fulmine solum terebrante & concutiente fieri possunt. Id autem non plane negari potest, vi fulminis aliquando in terra materiam lapideam liquefieri, & in verum lapidem incerta figuræ concrefcere. Longe vero ab hoc distant, qui vulgo pro lapide fulminari habentur. Illi enim nihil aliud, quam artefactum sunt, quibus veteres loco cuneorum & malleorum ferreorum vsi fuere, de quo inter alia foramen, in uno latere amplius, in altero augustius, testatur. Reperitur hic lapis etiam in nostris agris, sed frequenter sine, quam cum foramine. Quidam ad lapides fulminares quoque belemnitem, sed falso referunt, cum hic potius testaceis petrefactis sit annumerandus. Virtutes ceterum nullas singulares habet, licet ad somnum provocandum, victoriam in prælio conciliandam & herniam curandam commendetur, & a plebejis domum, in qua seruatur, a fulmine tutam reddere credatur.

Pergo nunc ad illos *lapides, qui varias animantium partes referunt*. Hi inter lapides corneos non raro obser-

obſervantur, nuper apud amicū quendam plures  
videre mihi licuit: quorum aliqui pedes hominum,  
vertebras, & unus prae reliquis caput canis, ore, oculis & collo excauato praeditum, non male repræſentabant. Ipſe proprie ſolido lapidem ſiliceum, coloris gryſei,  
pugni magnitudine, cui in ſuperficie alius accretus eſt,  
qui rana ſedentis effigiem egregie exprimit.

Nec silentio hoc loco praetereundum, ſaxa  
eximis molis, ad pagum Sennewig obuium, quod  
in ſuperficie duarum manuum veſtigia quodammodo  
exhibit, quæ a diabolo olim imprefta perhibentur,  
eo ſcilicet tempore, quo templum in monte St. Pe-  
tri a monachis exstructum, vno ictu hoc ſaxo con-  
uellere voluerit. Ejusdem magnitudinis bina ſaxa,  
videri poſſunt, vnum prope Wettinum, alterum ad  
radices praedicti montis; vtrumque horum vngulam  
eſtendit, quas vulgus iterum diabolo tribuit, ſaxis im-  
preſſas, cum saltum ex vno in alterum fecerit.

Lufum naturæ porro agnoscunt quidaſ re-  
gine vegetabilis producta emulantes lapides. Ex his pri-  
mus eſt dendrites, arborum ramulos, muſcum & frutices  
depictos exhibens. Talis in ſuperficie lapidis arenarii E-  
ſperſtadiensis nonnauquam reperitur, non infimæ ele-  
gantia, de quo BüTTNERVS in Ruder. diluv. test. Tabul.  
xx. ſpecimen exhibit. Occurrit etiam Bottendorffi,  
in lapide cinereo fiffili, qui per totam ſubtantiam  
quocunque modo diſfractus, arbuſcula ſubtiliſſima  
oculis offert. Huc etiam referenda erit altera to-  
phi ſupra allegati species, quæ muſco ſimilis eſt. Deinde  
Zingiberites, tam ratione figuræ, quam coloris, cum

D

radi-

26 Cap. IV. De lapidibus exclusu naturæ & vegetabilium

radice zingiberis exakte conueniens, ad vineam, quam proxime Salæ fluuius alluit, item in agro Passendorfensi, nec non limi fodina Loderslebensi, & denique in strato decimo capitinis primi reperiundus. Coronidis loco his adjungo peculiarem lapidem, inter reliqua curiosa dignissimum, quem prope Schrapelauum deprehendi. Hic alias multis ramis corallii fossilis scatet; sed præterea, quod notabile est, in diffractione contigit, ut accuratissime literam G, ejusdem fere magnitudinis & figuræ, repræsentauerit; quæ in hōc lapide albicante, colore cinereo distincta, manifesto conspicienda & diagnoscenda.

Exordior jam alteram classem lapidum figuratorum, qui specialius petrefactorum titulo digni, & partim ex regno vegetabili, partim ex animali originem ducunt. Necessearium autem judicaui, vt paucis prius inquiram, vnde & quomodo ejusmodi testacea aliqua animalia & vegetabilia petrefacta in terra viscerâ venerint, cum sāpissime talia loca a maribus & aquis sint remotissima. Nonnulli plane negant, hos lapides veras vegetabilium & animalium partes extitisse unquam, sed eosdem, vt reliqua mineralia & lapides, generari in ipsa terra putant. At vero conjectura hæc est, nec unico firmo argumento demonstranda; quare a plurimis in historia naturali versatissimis viris merito rejicitur. Solido potius fundamento nititur illorum sententia, qui originem figuratorum horum lapidum ex inundatione partim vniuersali, partim particulari quadam, deriuant, qua hæc subiecta inter arenas & varii generis terras ad diffi-

dissita loca translata, ibique postmodum pro varia  
constitutione loci & quam offenderunt matricis, a mo-  
leculis lapideis admissis, vel succo salino petrificante,  
indurata, crusta lapidea obiecta, vel in lapides penitus  
mutata fuerunt. His itaque præmissis, speciales titulos  
petrefactorum Halensium, & primo quidem ad vegeta-  
bile regnum spectantium, sequenti ordine enumerabo.

Principem locum sibi vindicat *lignum petrefac-  
tum*, cuius ad amnem Elystrum, die Elster, tantam  
copiam deprehendi, ut vel trium centeniorum  
pondus supereret; quare non abs re erit, si de hoc plu-  
ra referam. Obtulerat nimis amicus, mihi semper  
conjunctionissimus, ante aliquot tempus mihi frustulum  
hujus ligni dono, cumque simul ejus locum natalem  
indicasset, statim conjeci, majorem forsitan copiam i-  
bi fore reconditam. Cepi hinc inquirendi ulterius pro-  
positum. Nec spes me defellit. Quum enim hoc a-  
nimino locum, qui paludosus erat, accessisse, mox  
superiori terræ strato remoto, totus arboris truncus,  
oblique jacens, oculis se offerebat, quem majoris cu-  
riositatis gratia, integrum domum transportare con-  
stituebam. Sed frustra. Aqua enim, ibi perpetuo  
scaturiens, hoc lignum adeo friabile reddiderat, ut  
truncus integer extractionem & transportationem non  
admitteret. Ideo tantum frustra ejus, majora tamen,  
ad longitudinem dimidiæ vlnæ, obtinui. Eruto hoc  
truncō, in distantia duarum vlnarum a priori, alium  
forte inueni truncum, erectius positum, non minus cu-  
riosum, quem itidem effodi & domum transportari  
curavi. Hoc fossile peculiare, uti ouum ouo, ita

D 2

ligno

28. Cap. IV. De lapidibus ex lusu naturae & vegetabilium

Ligno exacte simile est; ac color, striæ annos arborum indicantes & ramorum perfractorum vestigia, id manifeste demonstrant. Ceterum quædam hujus ligni fragmenta siliculis albicantibus pellucidis, instar crystallorum obsita sunt, qui splendorem illis conciliant. Durissimum quoque est, hoc lithoxylon, ut quibusdam cultris acuendas, loco cotis, seruat. Silapidi autem arenario admouetur, per attritum impensiorem, foetidissimum & nauseosum spargit odorem, quod non omnibus ejusmodi lignis solenne, sed singulare est. Ante octo annos in horto quodam Pædagogii, in superficie, mox sublimo, in arena, tale lignum petrificatum magni ponderis effossum est, quod non nisi colore a nostro priori differt. Post hæc minoribus fragmentis passim in nostro territorio repertum est (quod partim ipse, partim alii possident) scilicet in torrente Elystro prope Ermliz, inter arenam ad riuum, die Rheide, prope molendinum Discauiente, in strato subterraneo A. cloccxix. agri meridionalis, hinter den Kirsch-Gärten in der Land-Wehre; in fossa quæ sylam proxime ambit; ad pagum Sennewitz, in agro; proxime ad riuum quendam, & tandem in lapicidina Querfurthensi, prope Weidenbach; quod vltimum copiosius quidem est, sed non cum ligno exacte conuenit, & potius pro spato indurato haberi debet. Nec omittenda specimina in Mylie catalogue rerum naturalium adducta; ubi allegatur lithoxylon repertum prope Giebichenstein, no. 643. Et 655. aliud ex lacu quodam Martisburgensi, Teufels-Lümpel, no. 647. Et 653. aliud vitrio-

vitriolo scatens Querfurthi no. 646. & 656. aliud fossile bituminosum, ibid. no. 650. aliud ibidem no. 670. 672-675. & tandem aliud Halense no. 661. Nonnulla asserunt, quodvis lignum artificio breui tempore reddi posse lapideum; de quo duplarem fiendi modum descriptis Kircherus in M. S. tom. I. lib. V. sec. IV. cap. V p. 308. & etom. III. lib. VIII. sec. II. cap. I. p. 49. Aliam adhuc methodum docet KENTMANNVS in Nomenclatura rer. fossil. fol. 39. his verbis: *Ex alno etiam fit lapis artificiosus hoc modo: imponitur Lignum, quanta velis magnitudinis, in labra illa ampla cnea, in quibus lupulus coquatur ad faciendam cerevisiam: cumque percoctus abunde lupulus est, eximitur idem Lignum, & arena vel glarea in ipsis cellariis obrnitur per triennium: inde cum exemptum fuerit, duratum in lapidem apparet: & quopotissimum cotes sunt, quibus ad ferramenta sciunda mensarum videntur.* Sic etiam de D. CLAVDERO, Con-Rectoro Altenburgensis Gymnasii, pro certo mihi relatum est, illum ejusmodi liquorem petrificantem habuisse, quo omnis generis vegetabilia in lapideam substantiam transmutauerit.

Non are alienum erit, si huic tractationi lignum fossile semi-petrefactum quasi, & ipsos carbones fossiles Halenses, supra descriptos addam. Quod prius attinerit, jam satis patescit ex cap. I. quo loco, & quanta copia inueniatur: coloris plerumque est fusci, interdum etiam nigerrimi, quod posterius, aëri diu expositum, flores interdum exhibet vitriolici saporis. Videlicet quando lapidem arenarium durissimum, ex proxima lumi fodina erutum, in cuius medio particula hujus

D 3

ligni

ligni fusci, ad pollicis crassitatem, conspicua erat, quod alias rarissime euenit. Nemo interim mirabitur, quod hue non minus carbones fossiles nostros, Thau-Kohlen, referam, quos alii tamen pro bitumine habent. Ex supra allatis enim circumstantiis abunde patet: illos primario vegetabili regno suam debere originem; licet non negem sulphuream ac vitriolicam eorum subinde indolem, quam tamen demum in terræ visceribus iis superinductam esse, censeo. Idem autem de veris carbonibus fossilibus, Stein-Kohlen, asseuerare non audeo, qui potius secundum plurimorum Phycicorum sententiam, bitumen durum, nigrum, & lapidosum constituunt, quare de his hoc capite non agam.

Sequuntur *Lithophyta*, siue plantarum varia genera in lapide mutata. Hoc nomine nulla magis, quam Manebacensia & Ilmenauiensia hactenus fuerunt celebrata, sed his Wettinensis, ante duos annos detecta, non immerito ad latus pono. Reperiuntur enim ibi in lapide fissili nigricante, Schieffer-Stein, elegantissimæ plantarum impressiones, ut primo intuitu statim rami filicis, polypodii, gallii, equiseti ramosi, arundinis striatae &c. cognoscantur. Quin non raro omnes haec species in uno lapide exprimuntur, quæ jucundum exhibent spectaculum, de quo gazophylacium curiolum illustr. Din. PRÆSIDIS exemplaria habet nitidissima. Est quoque fissilis ejusmodi lapidis grysei coloris in nostris agris prope Giebichenstein obvius, qui tamen obscurius & rarius quoque offert suas figuræ, quæ ut plurimum arundinis, equiseti

feti non ramosi, ac nonnunquam filicis & gallii, esse solent. Ibidem prope viam, in fossa & agro, multa marmoris fragmenta comparent, & inter haec saepius aliqua, arundine striata latiori geniculata, instar arundi nis sacchariferæ, distincta. Iam supra etiam dixi, nostris carbonibus multa folia fragmentaque lignea permixta esse, inter quæ folia salicis sunt manifestissima. Neque etiam omittendus est elegans *Fungites*, qui fungo, quem Stein Pùlz vocant, exacte similis est, & tam in strato decimo, saepius citato, obuius, quam a me, sed minus nitidus, in campo est repertus.

*Incrustata*, sunt partes vegetabilium, topho, vel alia materia calcarea & terrestri obductæ, quæ vero longo tempore in lapides mutatae. Haec incrustata in nostra regione valde infrequentia sunt, quia fontibus & aquis aptam materiam his generandis vehentibus destituti sumus. Nihilominus tamen ad ripas Salæ fluminis, inter aceruum arenæ, tale incrustatum reperi, quod ex pluribus arborum ramulis, luto cinereo firmiter obductis constabat. Hujus generis quoque aliud habeo longe præstantius, ex stramine, festucis & aliis quisquiliis compositum, quod cum aliis lapidibus in repurgatione putei cuiusdam nostræ vrbis copiose extractum est; quare huic puteo aliqua virtus incrustandi non immerito adscribenda, præsertim cum materiam calcariam in fundo vasorum copiose deponat.

Agmen petrefactorum vegetabilium claudunt *corallia fossilia*, de quibus integrum tractatum conscripsit BÜTTNERVS, sub titulo *Coralliographia subterraneæ*.

32 Cap. IV. De lapidibus ex lusu naturæ & vegetabilium

aneæ. Non opus hinc est, ut plura de iis referam, cum omnes fere species, a citato auctore descriptæ & figuris æneis etiam expressæ, ad agrum quoque Halensem pertineant. Sufficiet potius nominetenus tantum allegasse præcipua coralia, apud nos passim reperibilia, vt sunt corallium globosum, fistulosum, asteris punctatum, quod astroites dicitur, ramosum, & angulosum, retiforme & nodosum; que maximam partem lapidem corneum pro matrice agnoscunt.

Ordo ac instituti ratio nunc me ducunt ad lapides figuratos, ex animantium mutatione productos. Inter quos primum locum occupant Testacea marina, quæ sunt vel univalvia, vel bivalvia; univalvia iterum sunt vel erecta, ut belemnites & echinates, vel spirarum in modum contorta, ut cornu Ammonis & nautilites; vel turbinata, ut turbinites, strombites, cochilites, trochites, buccina, neritæ; vel non turbinata, erecta, vt tubulites & entalium. Et hac serie singula prius pertractabo, quam ad biualium divisionem progrediar.

Belemnites, sive lapis lyncis, in plurimis Phycorum libris inter lapides ex lusu naturæ formatos relatus legitur; ante paucos autem annos Dn. B. EHREHARDVS in Tractatu solidissimo de Belemnitis Suevicis, luculenter demonstrauit, ipsum ex prosapia testaceorum animalium esse oriundum, cui sententiae & ego calculum addo. Hic lapis paullo rarer apud nos est; nonnunquam tamen in limo occurrere solet. Vnum ejus veteres magni fecerunt in calculo, inter fluxibus ventris & pleuritide; & ex recentioribus

busquidam huic lapidi eximiam vim adscribunt in febribus intermittentibus, si puluis ejus cum aceto vini ante paroxyfinum propinetur. Sed quod effectus hos laudatos re vera præstiterit, cbservatione & testimonio Practicorum non confirmatur. Interim tamen virtus absorbens & subadstringens, ipsi non penitus deneganda, licet etiam hæc ex aliis magis usualibus melius haberi queat.

*Echinites*, sive *Bufo nites*, in agris nostris frequentior est, & in vulgus etiam iam satis cognitus sub nomine *Kröten Stein*. Variæ dantur ejus species. Diuiduntur quippe echinitæ in globosos & oblongos; illi iterum in papillosos, & sulcis lineis-ue ornatos. Papillosi, sive fibulares, nunquam, sed sulcis notati ac oblongi non raro, inter filices reperiuntur, inter lapides corneos autem, invenire illos rarissimum est, & quidem in matrice, quare etiam tale specimen tanquam cimelium inter reliqua curiosa *Magnif. Dn. PRÆSIDIS* asseruatur, quod lapidicinis Esperstadiensibus debet originem. Vires hujus lapidis quæ circumferuntur in praxi medica non sunt probatae. Nudo affrietu oculorum inflammations & rubores auferre, item virulentos morsus & tumores malignos curare & ut amuletum omnem virulentiam atque calculosos dolores præseruare dicitur; sed in omnibus hisce casibus vere quicquam conferre non valet.

Ad echinitas pertinet etiam *lapis Judaicus*, qui nihil aliud est, quam radiolus echini fibularis, quod præter alios egregie probat D. WAGNERVS in *diff. de*

E

*Lapidi-*

34 Cap.IV. De lapidibus ex iusu natura & vegetabilium

*Lapidibus Jadaeis.* Inuenitur autem in arenō fodinis circa Schrapelau, instar minimi modioli, candus cylindraceus, nunc striatus, nunc tuberculatus. Postea non infrequeanter in lapide corneo variis locis ejus impressiones instar cauernalarum conspicuntur, quale specimen exhibet BüTTNERI *Corallograph. subt. pag. 46.* Substantia hujus lapidis est selenitica & quasi crystallina, cum particulis salinis intermixta, inde & inter diuretica & absorbentia refertur; cum vero simpliciora & efficaciora hujus generis suppetant, hoc tuto carere possumus.

*Nautilites* est testaceum vniuale, spirarum in modum contortum, ut nulla spira supra alteram prominat: concamerationibus gaudet hemicyclis, & siphunculo in medio posito: externa ejus figura naviculam quasi repræsentat, vnde forte nomen accepit. Hoc fossile ex latomiis Querfurthenisibus frequentius eruitur, & ordinarie per totam substantiam durissimo lapide est farctum, nonnunquam tamen etiam materia pellucida crystallina ejus concamerationes sunt oppleta. Præterea in Museo jam saep citato, alium nautilitem rariorem vidi, ex eadem ditione allatum, cuius interiora omni materia alia vacua, sed crystallis minoribus vndique obducta ac desuper cuius concamerationi in medio loco siphunculi globulus crystallinus insidet.

A nautilite parum differt *cornu Ammonis*, nisi, quod concamerationibus irregularibus, ramosis quasi & siphunculo ad latus posito, præditum sit. Dividuntur alias *Ammonis cornua* in spinata & non spinata.

spinata, quæ variis striis, modo serpentinis, modo rectilineis, vel tuberculis aliquando etiam ornata, conspicuntur. In nostris autem oris, nempe in lapidicinis prope Weidenbach & præsertim Kuckenburg, tantum se offerunt cornua Ammonis non spinata, striis serpentinis dorsum perreptantibus donata, & sæpe quoque simplici & duplice tuberculorum serie obfesa. Hæc pariter ac nautilitæ, non raro fluore crystallino prægnantia sunt, ac plerumque matrici lapidis marmoreæ consistentiæ adhærent: quare ejusmodi cornua Ammonis rarissime in vtroque latere manifeste expressa obueniunt. Notabile in genere de hac lapidina Kuckenburgensi est, quod omni generi fere conchyliorum mirabiliter inter se concretorum abundet, ut sunt præter nautilus & cornua Ammonis, pectinitæ, turbinitæ, cochlitiæ, chamæ, mytilitæ ac aliæ, quale quid inter alios lapides non facile deprehenditur. Aliquando etiam, quod curiosum est, in lapide corneo ad syluam cornu Ammonis, simplici spira exornatum, minimum inueni.

Excipiunt Turbinitæ, Strombitæ & Buccinitæ, quas cum parum inter se discrepant, junctim hic recensemus. Optimi & maximi habentur prope Farrenstadt & Weidenbach, alii vero minores in loco paullo ante nominato, & porro etiam ad pagum Kölme & Lissbau in calcario lapide, ac tandem ad albedinem calcinati, in arenosodina Schrapelauensi.

A turbinite non multum distat cochlites & trochites, quia pari modo turbinem, quamvis compressionem, cum ventre ampliore habent, quibus adhuc

36 Cap. IV. De lapidibus exclusu naturæ & vegetabilium

accedunt neritæ, qui spiris paucis & mucrone parum aut nihil eminente gaudent. Cochlitæ prædictis jam locis, ac postea etiam in agro Passendorffensi & Niedlebieni, in lapide calcario, Islebiæ vero in topho reperitur; neritæ & trochitæ tantum in arenofodina Schrapelauensi.

Quod restat testaceum vniualue, non turbinatum, erectum, vel uno loco apertum, ut est *tubulites*; vel vtrinque hians, ut *entalium*, occurrit utrumque in limi fodina Loderslebieni & prædicta arenofodina.

Transeo ad *testacea bivalvia*. Hæc valvas habent vel æquales, vel inæquales, valvis æqualibus prædicta sunt *musculites*, *mytulites*, *solenites*, *chama*, *pectinates*, *ostracites*, *bucardites*, *tellinites*, *trigonella* & alia.

*Musculites* nihil aliud est, quam concha vulgaris fluviatilis Farben-Muscheln, in lapidem mutata. *Mytulites*, sive *mytulus arcuatus*, & *solenites* parum ab hoc differunt: repræsentant vero imaginem illius conchæ in littoribus maris obuiæ, quibus in locis marinis instar ostrearum ex tempore vesci solent. *Triplex* hæc species copiose in omnibus latomiis Querfurthensibus, nec non in Liseauiensibus & in campis Passendorffensisibus reperitur.

Ibidem quoque *chama* aliis conchyliis remixta occurrit; nullibi vero major & elegantior, quam in lapicidina Kukenburgensi. Reperi nuper etiam Esperstadii corneum lapidem, in quo pars chamae rugosæ subtiliter striatæ conspicitur, cum tamen alias his lapidibus testacea negentur a curiosis. Pariter quoque rarum

rarum existit, quod non ita pridem in crusta ætatis nigricante durissima prope Niedleben, duas chamas, totidemque pectinites minores detexerim, quale quid nondum accidisse memini.

*Trigonellæ & tellinæ* sunt conchitæ minores, & iisdem locis numerosiores exstant. Hujus generis plures, sed calcinati, cum aliis neritis & cochleolis quondam sunt inuenti in nostra limi fodina, ubi in vnum locum quasi congesti erant, wie in einen Nest behsamem, ad integræ manipuli quantitatem, quod mirum, cum alias in hocce limo ne vestigium quidem, conchyliorum deprehenderim.

*Bucarditæ* rarioris sunt prouentus; exhibent figuram cordiformem, & a quibusdam non male ad conchas venereas referuntur. Interdum inter reliqua fossilia Querfurthi occurunt; deinde & tres peculiares ac majores ipsam martialem mineram constituentes, ex notabili strato nigro supra descripto productos vidi, vnuſ eorum malleo diffractus in cavitate arenam ex fusco nigrā exhibebat, alter per totam substantiam martialis indolis erat, tertius vero integer adhuc afferuatur.

*Pectinites* est concha æquilatera striata, & propter striarum similitudinem a pectine etiam nomen habet. Dicitur auritus, vel non auritus; ille rarius, hic autem prope Weidenbach & Rütenburg, maxime frequens est, ita, ut quandoque in area vnius lapidis, quatuor, octo, quindecim & plures pectinitæ sese offerant. Tum quoque pectinitæ tales nummi instar & longe minores saepe, in dicta arenofodina

prostant. Nec tacebo silices durissimos, cinerei & grysei coloris, qui copiosius ex decimo terræ nigræ strato erui solent, & minimis hisce pectinitis argenti instar splendidibus Silber-Muschelgen, admodum scatent. De *ofragite*, cum nostrum solum non agnoscat natale, hic nihil addo.

Propero ad bivalvia valuis inæqualibus, qui potissimum sunt sic dicti pectunculi lacunosi & non lacunosi, terebratula, gryphites. Ex pectunculis utriusque generis passim quidam in matrice modo dicti silicis obseruantur; gryphites vero, quod scio, hujus loci nunquam; tanto frequentius tamen terebratula, siue concha anomia, & quidem prope Weidenbach, quæ cum lapide calcario laxe tantum coheret, ut facili negotio separari possit.

An numero denique testaceis *Stellam marinam*, quæ neque ad vniuersalia, neque ad bivalvia reduci potest, sed plane singularem speciem constituit. Figura ejus optime cognoscitur ex ROSINI Tr. de stellis marinis & ex D. BRÜCKMANNI Thesauro subterraneo Documentis Bransuic. Reperitur nullibi in nostro agro, quam, prope Farrenstädt im Lohbruch, & quia ibi etiam non admodum frequens, magni aestimatur. Corpus ejus non dissimile est aristæ Turcicæ, Türkisch Korn, vnde a lapidariis eine Korn-Aehre dicitur. Caudam hæc stella marina habet vnius vlnæ saepe, mire flexuosa, cuius articuli entrochi, Bonifacius-Pfennige, & aferie appellantur. Ceterum quia hujus testacei substantia selenitica splendens, cum lapide Judaico conuenit, eundem usum in Medicina præstare poterit.

Su-

Supereft, vt adhuc *Petrefactorum animalium* variij generis mentio fiat. Ad hæc primo referendi *pisces* in lapide fissili, cupræ naturæ, Kuyfer-Schieffer, cum squamis adhuc conspicui, qui nullo loco forte frequentius occurunt, quam in nostro territorio. Tales enim exhibent metallodina Mansfeldenses, Islebienses, Bottendorffenses, Wettinenses, Rotenburgenses & quæ sunt ad pagum Schiebzig. Palmarum vero ratione magnitudinis, frequentiæ & elegantiæ reliquis præripiunt Mansfeldenses & Bottendorffenses, qui squamis aurei & argentei coloris insigniter sæpe splendent. Genus horum piscium variat, & non semper determinari potest: compertum tamen habemus, non tantum fluviatiles & lacustres pisces esse, sed marinos quoque, majores & minores, de quo *Mylii Saxonia subterranea* testatur, vt taceam, quod ipse non ita pridem Bottendorffi fragmentum piscis marini, squamis quasi plumosis, *wie Federn*, exornatum, acceperim, qui, cum integer adhuc esset, longitudine vnam ac dimidiā, latitudine vero dimidiā vlnam, æquabat.

Pertinet huc etiam *Glossopetra*, quæ in arenofolina Schrapelauensi ac interdum in lapide corneo reperitur. Est autem nihil aliud, quam dens piscis canis carcarii, dicti *Hay*, maris mediterranei. In Insula Malta hæc glossopetræ sunt copiosissimæ. Quo factum est, ut, quia hanc insulam serpentibus penitus destitui ferunt, nonnulli putarint, hisce dentibus, perinde ac terræ Melitensi, virtutem singularem alexipharmacam contra morsus venenatos &

M 10191

fe-

40 Cap. IV. De lapidibus ex lusu naturæ & vegetabilium

febres malignas inesse, quam tamen experientia non confirmat.

Alia dentis piscis marini species est, quam BüTT-  
NERVS in Ruderibus diluu. test. p. 201. Tabul 18. pro castra-  
nea lapidea venditat.

Oolithes, sive Hammites, a plurimis auctoribus  
pro congerie ouulorum piscium petrefactorum ha-  
betur, qua de causa hic etiam eius mentio facienda.  
Germanice appellatur Fisch Nogen, Stein. Prostat  
ad lacum falsum, prope Mühlendorff, item in agro  
Rotenburgensi, nec non Alslabiensi, vbi tanta copia  
est, ut muris ac domibus exstruendis inferuiat. Si  
ouula sint majora, dici etiam solet Pisolithes.

Sequuntur Offa animantium partim petrefacta, par-  
tim tantum calcinata. Hæc nomen Vnicornu fossilis  
obtinent, & ab illis in eo differunt, quod ordinarie  
albicantis coloris sint, & linguae admota, adstrictio-  
rum edant effectum. Offa vere petrefacta in plu-  
rimis lapicidinis Querfurthensibus matrici inclusa de-  
prehendi solent, ut sunt vertebræ, costæ, maxillæ,  
scapulæ, tibiæ, &c. de quibus vide plura loc. cit. Tab.  
32-25. § 30. Vnicornu fossile iisdem locis, sed rarius  
reperiendum, nonnunquam fusci & paulisper ru-  
bicundi coloris; in arenosodina autem magis albi-  
cans ac non infrequens est. Ante aliquot annos  
etiam ad pagum Giebichenstein maxilla elefantis  
eiusdem coloris effossa est; & in arena prope Horn-  
burgum, ante quatuor annos, totum fere bouis sce-  
leton, ad albedinem calcinatum, de quo cornu ma-  
ximum, quod bouis Polonici simile est, in Museo  
rerum

rerum naturalium orphantrophei Halensis assertur. Aliud ejusmodi cornu minus, quod rupicapræ fuisse videtur, non procul a pago *Bisthal* aliquando eruerunt. Præterea in *MYLII Garganico nomine*, 1459, ebur fossile, siue dens elephantis duarum ac dimidiæ vlnæ, recensetur, qui in latomia Landsbergensi repertus. Ceterum quidam *Physicorum & Chymicorum* ossibus fossilibus mixtionem animalis denegant & pro sola terra margacea habent. At si figuram horum ossium & experimenta cum iis instituta conferamus, quod animali regno debeant originem, luculenter patescit. Quam in rem in primis legi meretur tractatus curiosus D. CARL, cui titulus: *Lapis Lydius*, quo euincit, hæc ossa fossilia, non secus ac alia recentia, destillatione præbere aliquid salis volatilis siccii & fluidi, & non nihil olei empyreumatici, vsta dein in occluso nigrescere, aperto igne in albam terram vitrescibilem abire, e qua sal quoddam fixum elui posset; tum calcinata cum nitro hoc sal in alcalinum corpus redigere; ac demum parcus admixta vulgari frittæ vitri, vitrum semiopacum laetum exhibere. Vnicornu fossile vsu medico, ut antecedentia subjecta plurima, non destitutum est, & propter substantiam terrestrem teneriorem & salinam, cum cornu cerui & ebore maximam partem conuenit, quare, ut illa, facultate subadstringente, absorbente & leniter diaphoretica pollet, ac in aliis profluviis, febribus & aliis affectibus commendari solet. *HOFFMANNVS* tamen in *Claue ad Schræd. p. 190.* monet: ut cum hoc prius in canibus, quam homini-

F  
bus

bus offeratur, instituatur experimentum, quia cornua hæc fossilia sæpe aliquid veneni recondant.

## CAPVT V.

### De Salibus.

**E**X *Salium* numero pauca quidem, sed tanto præstantiora & medico usui magis accommoda in nostra regione occurunt, qualia sunt sal commune, nitrum, alum & quodammodo etiam vitriolum.

Inter hæc salia primum examinabo *Sal communem*, quod nobis fontanum est, & tanta in copia ex salinis nostræ vrbi largissime scaturientibus coquitur, ut plurimæ adjacentes regiones nostra vberitate, suam subleuare possint inopiam. Actum vero agerem, si prolixius in fontium horum salinorum originem inquirere ac salis coquendi parandique modum enarrare vellem, cum de his & aliis circa rem salinariam notandis, ex instituto omnium optime jam scripsérit illustr. *Dn. PRÆSES* in Tra&t. vom *Salz-Werk* in *Halle*, & eandem etiam in rem conferri possit *HOHNDORFFIUS* in der *Beschreibung* vom *Salz-Wesen*. Hoc tamen monere hand superuacaneum, originem salorum horum fontium non immediate ex mari, sed verosimilius ex sale fossili & terra salsa subterranea deriuandam esse. Quam sententiam egregie confirmat testimonium *GEORGII AGRICOLE* de *Nat. Fossil.* l. 4. p. 514 ita habens: *salis mon-*

montes multi & illustres sunt in orbe terrarum. Extant tales in Germania juxta Seeburgum & lacum salsum, qua itur versus septentrionem; sed non ceditur, quod ex hoc effluant fluuii, qui salis deferunt ramenta, & illi finitimae regiones sunt, que puteos habent salsos, e quibus artifices tam adfluentes aquas hauriunt, ut fossili facile carere possint. Idem VALERIVS CORDVS in sytu. Observatur: salsa terra est circa Seeburgum undique ad salsum lacum, alioquin dulcem, inficiens; Et paulo post: salsa terra, siveque campi sunt circa Langenbogen lacum, cuius aqua e salso fluit lacu: item Salzemunde, i. e. ad salam mundam pagum. Ex quibus etiam facile patet ratio, cur non unus & alter tantum fons salinus, sed plures his in oris reperiantur; ex quibus proximi nobis sunt, qui offenduntur ad pagum Giebichenstein & oppida Gröbzig & Artern. Sic notum quoque est, varios puteos suburbii Glaucha & pagi Liebenau aquam eminenter salam continere. De lacu autem salso Seburgensi id notatu dignum, quod ejus salredo neque augeatur, neque minuatur, sed mensura aquæ ex ipso semper tres drachmas salis communis comprehendat. Quod tamen nullam aliam ob causam contingere arbitror, quam quod riuulus salsus, prope pagum Erdeborn, e cuius aqua ante plures annos coixerunt sal, in lacum hunc influens, aquam ipsius, dulcem alias, salledine inficit, alias vero e lacu egrediens riuulus, Sülzke dictus, alioe, ejusdera cum priori magnitudinis, tantundem semper aquæ iterum euehit, eoque ne falsior unquam fieri possit, facit, vid. illustr. Dn. PRAESES, l. c.

p. 20. Deinceps id quoque singulare & mirandum habet noster hic lacus, quod pisces in ipso nonnunquam copiosissime moriantur & ex profundo ad ripas propellantur; id quod nostra aetate anno MDCCXV. factum esse meminimus, ita, ut opus fuerit, emortuos & semiputrescentes pisces curribus aliunde transportare atque terra obruere. Idem autem jam notauit VALERIVS CORDVS l.c. ita de hoc lacu perhibens: *Salis ille lacus omni septennio turbatur: in medio enim ejus abyssus est, emitens ceu usq[ue] bituminis & sulphuris fætorem, quo totus inficitur lacus, adeo, ut pisces in eo moriantur, quotiescumque turbatus fuerit. Vfus salis communis tam est necessarius, ut eo carere queat nemo.* Constituit enim verum & præcipuum ciborum condimentum, quo alimenta cruda a corruptione vindicantur, cocta vel alio modo præparata sapida ac digestioni apta redduntur. Gaudet præterea virtute resoluentे, abstergente & moderate stimulante, eaque propter clysteribus plerumque additur ad stimulandum. Cauendum vero est, ne nimia ejus copia, sub parco præsertim potu, ingerratur, alias enim facile augendæ humorum acrimoniæ fauet. Ex præparatis ipsius est maxime spiritus salis, qui ad varios affectus, calculum, vrinam pel lendam, appetitum excitandum & nimiam fitim laudatur, nec virtute destituitur insigni; quia tamen acor ipsius subtilis ac penetrans ad diffitas etiam in corpore partes operationem suam diffundit, ac nervas maxime pulmonum membranas, moleste afficit & tussim mouet, cautus ipsius usus sit, oportet. Ac  
quia

quia minus promte, quam alii acidi minerales spiritus, cum vini spiritu intimum init connubium, idem fere valet de spiritu salis sic dicto dulcificato. Externe aqua falsa vulnera & morsus canis rabidi ad arcendam putredinem ablueret, haud inconsultum. In chymicis sal commune & ejus spiritus magnam præstant utilitatem, & constituunt vnicum menstruum, quo aurum, reliquos soluentes liquores eludens, dissoluitur.

Altera salis species est *Nitrum*, quod apud nos copiose paratur in officinis nitrariis, *Salpeter-Hütten*, qua erectæ in area suburbii. auf den Lerchen-Felde, & in pago Teutschthal. Terra nitri coctioni apta esse debet pinguis, sulphurea, salina, quæ ex tribus naturæ regnis, in primis vero ex animali colligitur. Signa vero bonitatis terræ nitroæ desumuntur ab operariis ex gustu; immissione ferri caudentis in ejusmodi terram, quod refrigeratum, maculas albocantes & subluteas ostendit, si nitrum adest; inspersione siccatae & in puluerem redactæ terræ carbonibus ardentibus, ubi strepitum & scintillas edere solet; & elixiuatione ejusdem, quo lixiuio candelæ flamma ad siccitatem redacto, residuo dein ponderato, quantum nitri condat, calculum subducunt. Omissò præparandi modo, me ad usum ejus amplissimum in Medicina conuerto. Et certe nitrum inter medicamenta polychresta, magnæ, tutæ tamen, virtutis, principem fere locum obtinet. Aestum enim sanguinis temperat, biliosam acrimoniam cicurat, motus & excretiones impetuosiores moderatur, do-

F 3

lores

lores placide componit, resoluit, abitergit leainterque diuresin proritat, eaque propter in quamplurimis morbis effectum edit longe saluberrimum. Exhibetur autem ut plurimum ipsa in substantia depuratum, aut ad obtinendam resolutionem efficacrem, antimoniatum, aut diureticam vim intendendam, fixatum. Spiritus dein ex ipso, vini spiritu dulcis redditus, in primis methodo illustr. Dn. PRÆSIDIS paratus, antispasmodicum est præstantissimum & carminarium, ac in colica, calculo, aliisque doloribus, æstu interno, flatulentia, aliisque pathematibus summo cum fructu usurpatur, tanto magis si cum appropriatis aliis remisceatur. Quid præterea nitrum in Chymia, Pyrotechnia & Oeconomia valeat, breuitatis ergo mitto; plura tamen videri possunt, in *Magnif. Dn. PRÆS. diss. de Nitro, & Illustr. D. STAHLII. Obscrv. Chym. Phys. Med. Ann. 1698. Mens. Mart.*

Ad nitri genus pertinet etiam *Aphronitrum*, sive flos nitri ex antiquis muris calcariis & in cellarum parietibus passim instar lanuginis efflorescens. Multum hoc a nitro vero discrepat, tam ratione saporis, quam coloris, nec adeo in usum medicum dicitur. Apud nos aphronitrum hoc ad pagum Morl montibus accretum nonnunquam cernitur. Præstantius autem ac nitro nativo veterum valde simile olim (& hodienum forte) repertum est Leucopetræ, Weissfels, in cella quadam profundiissima, tota in saxo excisa, e cuius summo aqua continuo depluens & fundum attingens, in nitrum durum & faxeum transmutata est, ut malleo vix obtem-

temperauerit; imo parietes cellæ eodem nitro incrustati fuerunt, vti pluribus ex SCHELLHAMMERI Comment. de Nitro cap. 3. p. 43. SCHÜTTEVS in Oryct. Jenensi p. 88. refert.

Aluminis minera bituminosa, magna quantitate effoditur prope Dübēn, quartum ab vrbe nostra lapidem, quæ in aceruos collecta, & diutius aëri libero exposita, sal aluminosum in ingenti copia per coctionem præbet. Magma relictum liberò aëri commissum per aliquot annos, denuo principium aluminosum concipit, licet non in tanta copia, vt antea. Curiosa est etiam obseruatio, quod minera prædicta in magnos aceruos collecta, in apertas flamas quandoque erumpat & fœtidum odorem emitat. Huic mineræ nostri carbones Halenses quoddammodo sunt similes, tum ratione figuræ, tum etiam contenti, quippe qui aliquid aluminosi alunt, sed tantum non est, vt cum lucro elici inde possit. Alumen per se adstringentem & incrassantem edit facultatem, ob quam gargarismata adstringentia & liquores stypticos sanguinem fistentes ingreditur. Si vero usum est, septicum constituit ad carnem luxuriantem absumendam. Internus ejus usus infidus est; artamen ex solutione aluminis, cum lixiuio alcalino debite mixta, colata & inspissata, sal neurum, instar tartari vitriolati, præparari potest, tenerioris substantiæ, ac tanquam diureticum & aperitiuum valde proficuum. Sed reliquis ex ali mine præparatis carere possumus. In arte tinctoria ejus usus amplissimus. Nullus enim pannus, sericum, pili, coria &c.

&c. siue alumine colore quodam tingi possunt. Bibliopegæ etiam eo vtuntur inter aquas, quibus chartam immergunt & iterum exsiccant, zum Planieren, ne diffuat, vtque atramenti acrimoniam melius sustineat.

*Vitriolum* quidem in agro nostro effectiue non paratur; sed copiose tamen in vera minera martia- li sulphurea latet, qua occasione illud hoc loco inserere volui. Minera hæc martis cum Hassiaca exa- ete conuenit, quare istam jure Halensem appellare possemus. Reperitur in notabili strato decimo, multoties laudato, ad vbertatem plurium centum pondiorum, magnis sæpe frustis, instar silicum ma- jorum, grysei coloris, & nonnunquam ligno fossili fusco circumdata; malleo vero diffracta, interior ejus substantia pyritosa flauescens, splendens, sapori- fere nullius, in conspectum prodit. Minor quo- que copia in forma globulorum occurrit. Ante octo circiter annos ex fonte XXX. vlnas profundo diuer- forii in suburbio Glauchensi, zum güldnen Hirsch di- eti, hæc minera inter arenam & argillam detenta variis globulis majoribus & minoribus eruta est, quo- rum sæpe duo, tres, imo sex in vna serie coaluerant. Postquam hæc minera aëri liberiori diu exposita, flauescente & cinereo colore obducta comparet, tan- demque in puluerem grossiorem resoluitur, qui acer- rimi saporis vitriolici est, ac si porro in aqua solui- ur, inspissatur & crystallisatur, ipsum vitriolum martiale producitur. Haec tenus occasio quidem non fuit, variis aliis locis territorii nostri telluris viscera per-

perscrutandi, ac in campis meridionalibus per multos annos factum est; sed tamen credibile, hanc mineram martis vitriolicam latius se extendere. Id quod satis confirmant fontes medicati in nostris confiniis scaturientes, Halensis, Lauchstadiensis, & ante duos annos detectus ad pagum Brachwiz, qui omnes ex ejusmodi concreto martiali vitriolico virtutes suas acquirunt. Ex vitriolo varia in Medicina prostant medicamina, quorum vulgatissimum ac fere præstantissimum est tartarus vitriolatus, qui resolutus, abstergit, vrinam, ac largior exhibitus, aluum, mouet: hinc in vitiis primarum viarum, febribus intermittentibus & obstruktionibus glandularum a Practicis felici successu porrigitur. Vitriolum externe in oculorum affectionibus, sub forma collyrii conducit, item ad haemorrhagias fistendas, ac vulnera sananda, quam ob rem ex vitriolo etiam conficitur per orbem celebratus puluis sympatheticus. Constituit quoque fundamentum atramenti, liquoris istius immortalis, quo viri eruditinomina sua æternitati consecrare solent, cuius præparationem sequens distichon indicat:

*Vncia sit galle, semisque sit vncia gummi,  
Vitrioli pars quarta; his addas oculo salerni.*

## CAPVT VI.

### De metallis & mineralibus.

**N**unc tandem ultimo capite ad metallorum & mineralium tractationem progredior. Etsi

G

non

non paucæ in agro nostro metallifodinæ, pauca tamen metallorum genera, & nihil fere, nisi cuprum in illis reperitur. Interim qualiacunque sint, & vbi passim quoque obueniant, jam indicabo.

Si ab *auro*, metallorum nobilium primo, exordior, illud natuum in granis inter arenas & illuuiis Salæ fluuii permixtum esse constat, ex quibus etiam lauari & colligi potest. Hæc auri ramenta sine dubio e montis piniferi, vulgo *Fichtelberg*, venis, perpetuo aquarum transitu, eluuntur & undis hujus fluuii insinuantur. Hinc etiam fieri arbitror, quod iis locis, quæ monti propinquiores sunt, copiosius, & quæ remotiores, paulo rarius deprehendatur. Ita nouimus Salfeldiæ ac lenæ quandoque ex arena lauatum esse aurum, apud nos vero nunquam, licet satis certum sit, etiam hic loci auri granula esse reperiunda. Multas alias & curiosas relationes de hoc auro habet Schüttevs *l. c. p. 91. seqq.* Vfus hujus metalli medicus a nonnullis quidem maxime celebratur, experientia vero teste, tanti non est. Vnicum ex eo paratum, aurum fulminans, vere aliquam virtutem præstat, nempe resoluentem & stimulantem, propter quam aliis pulueribus salinis, vel pilulis commode additur, ad visciddates primarum viarum educendas, maximeque laudatur in epilepsia infantum a vermis & aliis torminibus excitata; nihilominus tamen vbi acres humores in intestinis haerent, caute est adhibendum, ne vis ejus rodens inde augeatur ac damnum inferat.

Transeo ad *cupri mineram*, quæ, vt paulo antea, monui

monui, apud nos admodum frequens est. Licet autem nullæ magis, quam cupri mineræ variare soleant: in aruo tamen nostro habetur tantum duplex. Una est in lapide fissili nigro, quæ occurrit in comitatu Mansfeldensi, ac Rotenburgi, atque etiam aliquot abhinc annis Wettini, nec non ad pagos Schiebzig & Brachwitz, erui copta est. Altera in lapide arenario vari coloris, præsertim viridis, quam vulgo Sand-Erz vocant, Bottendorffsi offenditur, vbi tamen ab aliquot annis nihil cupri paratum, quod venæ metallicæ non admodum diuites, aquarum autem subterranearum nimius est prouentus. Ex omnibus metallifodinis, quæ tam in Saxonia, quam in sylva Hercynia, Mansfeldenses & Islebienles fere sunt antiquissimæ; quippe quæ ab anno MCIC. quoniam mettallifossores cupri mineram primum inuenierant, coli cœperunt ac subsequentibus seculis vber admodum sicut earum prouentus. Hanc autem antiquitatem, præter historicam fidem, confirmant ipsæ fodinæ, die Zedhen, ibi numerosissimæ, quæ longo temporis lapsu districtum duorum milliarium occuparunt. Ante bellum tricennale tam diuites erant hæ fodinæ, vt quotannis 20000. centipondia cupri largirentur, post illud vero, & in hunc usque diem vix 1200 centipondia, cuius rei causa inter alia quoque ex defectu carbonum deriuanda. Quoduis autem centipondium cupri, ordinari nouem, ad quindecim semiuncias (Loth) argenti continet: adeoque quatuor centipondia argenti circiter quotannis ibi conficiuntur. Vid. plura in Mylii Saxon. subr. P.I.p.I. & seq. Cupri fodinæ, quæ non procul a Rotenburgo sitæ & no-

stris temporibus vix ante quindecim annos cœperunt, a Mansfeldensibus parum differunt, nisi quod loco lapidis fissilis, saepè etiam cupri minera instar terre nigrae paludosa, eruatur, ex qua ante plures annos coxerunt ibi vitriolum. Cupri usum medicum quod attinet, externe tanquam septicum in ulceribus fistulosis & excrescentiis vsibus chirurgicis quadrat, eaque propter in pharmacopoeis parata prostant vnguentum Ægyptiacum & Apostolorum, nec non virideæris. Quoad usum internum, ingreditur quidem, licet parua tantum quantitate, spiritum asthmaticum Michaëlis, saponem chymicum Dippelii, tincturam veneris, sed tutus nunquam ejus usus intermus & rectius ab eo abstinemus. Idem fere de præparatis ex argento ferendum judicium. Etenim bezoardico & tinctura lunæ, a quibusdam in mania & epilepsia commendatis, effectus non respondet & tutius iisdem non vti. Crystalli lunæ, vindictica & rodente præditæ, itidem in hydrope tanquam diureticum infsecuri sunt effectus; melius autem lapidis infernalis præparationi seruunt, qui externe ut causticum vario modo applicari solet. Reliquos cupri & argenti usus mechanicos breuitatis causa jam lubens prætero.

*Ferri mineram* territorium nostrum tanta copia quidem non exhibet ut inde ferrum parari posset; attamen eam passim affatim absconditam esse, satis patet. Hoc enim pyrites vitriolicus martialis, fontes medicati & crocus martialis ex iis collectus; item rubrica fabrilis, ochra, & tandem ipsa ferri minera rubi-

bicundi coloris, & maxime in pulueris forma, multe  
migte Eisen-minera, licet pauperior, ante ali-  
quot annos ad pagum **Brachwitz** reperta, compro-  
bant. Tum etiam plurimi montes circa pagum **Gie-**  
**bichenstein**, hoc principio martiali infecti, quod par-  
tim ipsi lapides, ex illis auulsi, fusco colore tincti,  
partim etiam crocus martis, quem riuuli ex his mon-  
tibus profuentes deponunt, luculenter demonstrant.  
Neque minus huic referenda ætitæ, jam supra descripti,  
qui proxime ad sylvam nostram numerosi reperiun-  
tur. Nam crusta horum nigricans & fusca nihil ali-  
ud est, quam vera ferri minera, ne dicam, quod inter  
illos quædam specimina quasi seminatua ferrea ob-  
seruauerim, quæ admota lima, ferri splendorem edi-  
derunt. Hac occasione non possum non ferri natuui  
plane singulare, & hactenus a nemine, obseruatum  
specimen, commemorare, quod duobus abhinc annis,  
in dulci patria mea, Potsdamii, in arenofodina, non  
procul a granario publico, brym Korn-Hause, in-  
ueni. Offendebam nimirum ibi lapidem corneum, co-  
lore cinereum, in quo quum echinitem (quod ali-  
quando accedit,) quærerem, eoque animo malleo  
ipsum diffrigerem, apparuit in medio tubulus pure  
ferreus, ad pollicis longitudinem & calami scriptorii  
crassitatem, huic lapidi firmiter accretus, quem adhuc  
hodie inter reliqua, curiosa asseruo. Tubulus autem  
hic utrum nativum sit ferrum, an vero arte-  
factus, & casu, forsitan inundatione, huc delatus ac ma-  
teria lapidis tum molli immixtus cum ipso concreve-  
rit? certo definire ambigo; posterius tamen videtur  
magis probabile, quia ferrum in ejusmodi tubularem

G 3

figu-

figuram concreuisse exactam, vix credere licet. Ceterum mars, usu amplissimo, metalla antecellit omnia. In Medicina est præstans ipsius virtus tonica, roborans, adstringens & absorbens, propter quam in fluxibus nimiis compescendis, sistendis febribus, in malo hypochondriaco, viscerum obstructione, cachexia, primarum viarum vitiis, omnibusque morbis, qui ab atonia proficiscuntur, non immerito mirifice celebratur, modo cum cautelis necessariis adhibetur. Exhibitetur autem tam in forma liquida, quam solida. In hac celebres sunt martis sic dicti croci, inter quos præferendi, qui minus adstrictivi magisque solubiles, uti est qui a STAHLIO nomen habet. Omnibus tamen palmam reddit dubiam simplex martis limatura, sulphure suo ignis tortura non orbata, a SYDENHAMO jam jure laudata. Ex liquidis martialis sunt maxime tinturæ, quarum multæ, sed præstantiores, quæ lenes & tutæ, cum succis vegetabilium confectæ, ut cum succo pomorum, cydoniorum, citri. Ex aliis non ingloria est tintura vitrioli martis tartarisata Ludovici, & tintura martis Zwœlfperi, quæ posterior tamen pretio, non vero virtute, priorem superat. Externe a quibusdam laudatur aqua fabrorum ferrariorum in scabie, pedum oedemate ad aphthas infantum, ubi effectum edit adstringentem & repellentem, eaque propter cautione opus est. Laudatur etiam scopo exsiccante & consolidante crocus martis, ulceribus glandulosis ac manantibus inspersus si ante probe mundata fuerint, a PARACELSO & aliis practicis auctoribus. In mechanicis & œconomicis præterea ferrum, uti inter omnes constat, tantum non aurum & argentum utilitate superat, licet non pretio. Bellicos martis usus martis filii nonnullus est, sed generi humano in perniciem innotuit. Ex

Ex reliquis mineralibus subjectis vnicum adhuc restat,  
carbones nempe *fossiles*, die Stein-Kohlen. Constant hi ex plu-  
rimum auctorum opinione ex bitumine duro, nigro, lapido-  
so, idque producta ex iis haud obscure comprobant: sunt  
tamen nihilominus qui eorum natales ex vegetabili regno  
deriuare malunt, & adhuc sub judice lis est, quam vero hic  
componere non animus est. Interim ejusmodi carbones,  
sive lithantraces, eximia in quantitate occurunt prope  
Wettinum & Lebeguinum. Priori loco ante triginta octo,  
posteriori vero ante quindecim annos, primum effodi cepe-  
runt & tunc scripsit de his egregium, libellum, Wettinensis  
quidam, Bünting, sub titulo *sylva subterranea, sive von den*  
*Stein-Kohlen*, postea sub ulteriori telluris perscrutatione  
maxima horum carbonum fossiliū supellex est detecta, ut  
jam in solo districtu Wettinensi tanta in copia quotannis  
eruantur, quæ octies millies complet illud mensuræ ge-  
nus, quod nostrates vocant einen *Wispel*, aliquanto mi-  
nor autem in Lebeguinensi, quin affirmant metallicolæ,  
in terræ visceribus apparatum ad centum adhuc annos esse  
absconditum. Differunt autem vtriusque loci carbones  
fossiles. Wettinenses firmioris & ponderosioris sunt sub-  
stantiae, ac plus de bituminoso sulphureo principio fount,.  
diutius earopter in igne persistunt & flammam reddunt ve-  
hementiorem & constantiorem, vnde a ferrariis fabr's quam  
maxime usurpantur. Lebeguinenses frustis majoribus eru-  
untur, sed friabiliores, leuiores & minus constantes in igne  
sunt, tandemque in cineres abeunt, cum Wettinenses po-  
tius scorias valde compactas relinquant. Præterea Lebe-  
guini in terræ superficie bituminosi carbones effodiuntur,  
quos Tage-Kohlen vocant, qui reliquis multo leuiores, mol-  
liores, & difficilius ignem concipiunt, nec nisi ad calcem vi-  
uum puriorem, Sparkalz, parandam, adhibentur. Ceterum  
inter veros illos lithantraces, præfertim Wettinenses, non  
nunquam subtiliores laminæ sulphureæ, pyritis instar splen-  
dentes, wie Goldflitter, conspicuae sunt, quæ de sulphuris co-  
piosi præsentia testimonium præbent. Paucis abhinc annis in  
aliis

aliis locis etiam agri nostri, quæsiuerunt carbones fossiles metallifossores, ut ad pagos Morl, Giebichenstein, nec non in ipsa vrbe nostra, vti supra memini, ac tandem ad oppidum Gröbzig, sed inani plane labore. Carbonum fossilium usus nobis frequentissimus & omnibus satis cognitus est. Utuntur quippe iis permulti loco lignorum, ad calefacienda hypocausta & conquendos cibos, quem in usum tamen Lebeguinenses commodiores, quia fumum non adeo ingratum sulphureo-acidum spar-gunt. Deinde tam Wettinenses, quam Lebeguinenses, in casis salinariis nostris, Salz-Rothen, salis coctura seruiunt, eoque maxima pars omnium, quæ effodiuntur consumitur. Sunt, qui carbonibus hisce in Medicina virtutem aliquam anodynæ, adstringentem adscribunt, eosque in puluerem comminutos, in febribus intermittentibus, haemorrhagiis nimis, dysenteria & diarrhoea, imo externe ad fistendum sanguinem commendant; sed rudior ipsorum compages & substantia copiosa sulphurea, salina acida & terrea, plurimos Practicorum ab usu deterrent. Neque tamen illi audiendi sunt, qui eis vim plane deleteriam ac perniciosaam tribuunt, ac propterea etiam vaporem lithan-tracum sanitati maxime aduersum proclamant, quam tamen opinionem jam dudum solide refutauit illustr. Dn. PRAESES in peculiari schediasmate de Vapore carbonum fossilium innoxio.

Hæc sunt, quæ de fossilibus agri Halensis recensere volui. Plura quidem subinde addi, aut pluribus describi potuissent, sed temporis ratio & præscriptæ dissertationis limites id veterunt. Quam ob rem in succincta hac præsentis thematis deductione jam acquiesco, Deoque submissas ac deuotas exhibeo grates, quod hunc laborem perficere concessit clementer, simulque benignissimum ipsius Numen imploro humillime, velit hunc omnesque reliquos conatus dirigere ad prosperum denique

FINE M.

PRÆNOBILI ET DOCTISSIMO  
DNO. LERCHIO  
DIGNO MEDICINÆ CANDIDATO  
S. D. P.  
FRIDERICVS HOFFMANNVS

**E**Ntuerunt utique nostro hoc saeculo nobilia ingenia plura, quæ spretis majorum per manus traditis opinionibus, omnia perquisiverunt penitus & inventis præclaris multis ad ipsas artes & scientias accessiones fecerunt insignes. Haud postremum autem inter hæc locum obtinent illa naturæ curiosa, quæ telluris penum perveſtigarunt, ac in conditoris gloriam eruerunt ibi apparatum ubertate & varietate plane mirandum, sicutulatque in luculentum historiæ naturalis incrementum, ignota multa protraxerunt, singulae suæ classi, suo loco suæque genuinæ origini vindicarunt. Quod licet diffusissimi laboris videatur negotium; mirum tamen sit, quam certatim in ipso exsequendo desudarint ubique versatissimi viri, quorum studia collata, conficiendo operi toti, omnino potuerunt sufficere. Prostant passim specimina hujus studii egregia, ac vix regio, quin celebris in Germania est locus, cuius historia naturalis, sive, ut vocant, oryctographia, non sigillatim sit conscripta. Sola nostra Hala, amplissimum altas literarum & bonarum artiumemporium, deterioris hoc nomine videbatur conditionis aliis; quippe quæ habuit quidem qui soli circumiacentis plantas, nec non falsos quibus dotata fontes descripserunt, sed qui mineralia & fossilia ipsius exponeret, fuit nemo. Hoc ab aliis intactum relictum opus, jam Tu, LERCHI præstantissime, es aggressus, atque etiam magno cum labore, sed non minore laude ac gloria perfecisti, eoque de Academia & civitate nostra

X

stra

**B**ro meritus es egregie. Neque tamen quisquam putet,  
Te operoso hoc negotio occupatum, quicquam aut diligen-  
tie, aut temporis subtraxisse medico studio. Quod enim alii  
discurrendo, confabulando, compotando, aut alio modo tempus  
teruni inutiliter, Tu huic labori insumisti utiliter, ac preterea,  
secus quam plerique ex Academia ut canis Nilo, festinanter  
aufugientes, aliquot in ea annos exigisti, eoque consequutus  
es studia & solida, & matura. Vidimus id coram, quum pro-  
fetus Tuos exploraremus examine, in quo stetisti pulcre,  
ut omnes nostros sic stare optaremus. Vnde non trepidante ma-  
nu Tibi jam consero diligentiae premium, Doctoris dignitatem,  
optans ex animo, ut evenist feliciter, ac nanciscaris Patro-  
nos, quorum favor industrie, probitati ac meritis This re-  
pondeat, tam in Tuum, quam publicum commodum. Vale.  
Scriebet. Hale Magd. VI. ante Nonas Maias,  
anni AE. C. cl Is cc xxxv.

---

**A**lternis tenuem sublimis in aëra pennis  
Fertur alauda, dein lassa quiescit humo:  
Tu vero terrae descendis ad vsque profundæ  
Viscera, perque imos Te juuat ire sinus.  
Atque ita nomen adeft Tibi suae canentis alaudæ,  
At studijs superas omina cuncta Tuis;  
Perque humiles ad celsa nouo perdignus Hygeæ  
Atria conatu, tendis, Amice vias.  
Cum voto omnigena prosperitatis gratu-  
labundus script  
**JOANNES JOACHIMVS Lange,**  
Math. P.P.O.

---

**C**um nuper nostram venires Hospes ad urbem,  
Quae Bereæ nomen sustinet atque domus,  
Non vnum nostræ donabam fossile terræ,  
Quod pelagus fouit, nunc humus alma fouet.  
Almam

Almam cum contra accederem nouus hospes ad vibem  
Hallam, quam Musæ laudis honore canunt,  
Tu quoque donabas non vnum fossile terræ,  
Quod nunc non tellus, sed mea cista fouet;  
Tunc simul optabam, ut gazas, quas oculit aruum  
Hallense, & gremio continet vsque suo,  
Quidam mandaret literis, calamoque notaret,  
Istae qualia res experimenta docent?  
Nunc voti compos factus contaminata laudo,  
Quae tua jam scriptis dat bene docta manus,  
Dumque Tibi Chiron Doctoris praebet honores,  
Hos mecum aeternos terra vel ipsa vovet.

*Hicce paucis de longe promerito Doctoris titulo  
honoratissimo Domino Auctori ex animo  
gratulari voluit*

**FRID. CHRISTIAN. LESSERVS**

Past. Mar. in monte & Orphan. Administtr.

Nordhuf. d. 8. Apr. 1730.

**D**ulce fuit semper, variòs percurrere tractus,  
Visere quæ monte, imaque terra ferant.  
Halla, recondita quæ servat, describere tentas,  
Ac usum medicum dicis habere suum.  
Accipe nunc lætis laurum, quam porrigit Halla  
Illi quod præbes, vultque referre decus.  
Sume GRADVM, multis gradibus quem iure mereris.  
Summo crede gradu verus Amicus ero.

*Hic Doctissimo Dn. Auctori, Amico ex paucis astu-  
matissimo, honores doctorales gratulatur, at-  
que cuiusvis generis felicitatem appreccatur*

**D. A. HANCKE, M. D.**  
Conicio-Boruss.

**S**o gehts, geliebter Freund! wenn man recht tief gegra-  
ben  
So kan man mit der Zeit erwünschte Stüffen\* ha-  
ben:

Drum

QR 46.4540


Drum nehmen Sie im Chor der edlen Medicin  
Mit Recht vor Ihren Fleiß die Doctor-Würde hin.  
Ich bin darbey erfreut, und wünsch' in einem Worte:  
GOTT läßt im Graben Sie noch ferner glücklich seyn!  
Dann trägt die Praxis erst rothguldne \*\* Stüfchen ein;  
Ja wenn die Schicht erschöpft, kommt man zur Himmels Pforte,  
Wo, wer hier recht gesucht, das beste Bergwerk findet  
Und ein weit mehreres als Cent pro Cent gewinnt.  
Also nennen die Bergleute das Erz welches sie aus der Erde gewinnen,  
\*\* Ist die beste Art von Erz.

Dem Herrn Doctorando zu Ehren schrieb  
Johann Wilhelm Kellner von Zinnendorf.  
der Jüngere.

**SSG** An kan, Geehrter Freund, aus diesen Blättern lesen,  
Das Gottes Wille Dir nur eitel Lust gewesen,  
Was Gott im Erden-Grund verborgen und ver-  
steckt,  
Was seine Fluth ersäuft, hast Du hier aufgedeckt.  
Das war Dein Zeitverreib bey emsigen Studieren,  
Du siestest durchs Geschöpf Dich zu den Schöpffer führen.  
Die Zeit die ist gewiß nicht übel angewandt,  
Drum dirigirt Dein Glück des grossen Gottes Hand.  
Er lässt jetzt Dein Haupt mit reinem Purpur schmücken,  
Und Deinen grossen Fleiß mit Seegen so beglücken.  
Ich wünsche Glück dazu, und dieses noch darbey,  
Das Deine künftige Zeit voll lauter Seegen sei.

Seinem geehrtesten Freunde schrieb zu Ehren  
Abraham Reichfeld, M.

*Errata. Pag. 8. l. 2. valtale, lege venale, lin. 3. Anhaltino. p. 11. l. 9.  
Ienit. p. 16. l. 5. tantum, delectatur. p. 27. l. 23. frusta, p. 29. l. 18. lege  
Claudero M. D. Altenburgensi. p. 37. lin. 4. peccinitas,*



Pon 96 2579, au

ULB Halle  
003 910 520

3







**DFG**

# **Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt**


Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts

PPN 715919040

## **Dissertatio Inavgralis Physico-Medica Sistens Oryctographiam Halensem Sive Fossilivm Et Mineralivm In Agro Halensi Descriptionem**

Hoffmannus, Fridericus (Halae Magdeburgicae 1730)

**Pon Yb 2540, QK**



715919040

Visual Library

